



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

318. An an vitandam actionem de contemptu sufficiat probare, quod præses ex parte sua bona fide & modo consueto vocarit vocandum, licet hic reipsa vocatus non fuerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

*Quaestio 316. An non vocatus seu contemptus cogi possit, ut consentiat electioni factae: & num Superior regularis subdito suo prohibere possit, ut non agat de contemptu?*

**R**espondeo ad primum negativè, Gl. in cap. quod sicut. de elect. v. consentire. Idem ad secundum respondent Sigism. dub. 9. num. 7. Donat. p. 3. tr. 4. q. 21. num. 15. & alii, eò quòd, cum jure communi id concessum sit omnibus Ecclesiasticis, & communi totius Ecclesiae consuetudine firmatum; quin & constitutionibus propriis id permillum sit Regularibus, nullus Superior, etiam Generalis, utpote inferior conditore canonum Papà, possit auferre subditis suis hoc jus agendi coram suis Superioribus, si in electionibus contemnantur. Quod ipsum tamen distinguit Pass. n. 12. 4. admittitque, dum Superior procedit ut Judex, cum ex nulla causa impedire possit, ne elector contemptus agat de contemptu: negat verò, dum Regularis Superior procedit ut Praelatus in vim potestatis, quam habet ex voto obedientiae; sic enim dicitur posse eum ex justa causa imponere silentium a genti de contemptu.

*Quaestio 317. Ad quem spectet probare, num aliquis contemptus, vel non contemptus fuerit?*

**R**espondeo: onus probandi se vocatum non esse, non incumbit asserenti se contemptum, sed est Electorum, vel vocantis probare, illum citatum & monitum esse; cum praesumptio stet pro eo, qui habet jus interessendi electioni, & non interfuit, ut censetur ideo non interfuisse, quia non fuit vocatus; cum non praesumatur quis negligere, quod sui juris est, Gl. Abb. Bald. in c. quod sicut. de elect. Barb. ibid. n. 7. citans Felin. Tirag. Surd. Mascard. Menoch. &c. Pass. num. 126.

2. Ad probandum autem, eum vocatum esse, sufficit dictum nuncii jurati, affirmantis se illum vocasse (saltem ut hoc limitat Biach. p. 3. c. 11. n. 3. ubi constat de commissione ei data) Gratian. discip. forens. c. 502. num. 14. Boer. in addit. ad c. quod sicut. Castell. c. 8. num. 18. Lavor. loc. cit. num. 20. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 19. num. 95. unde Pass. num. 127. ait, non esse credendum Barboza, dum ad c. bona. 23. de elect. dicit; quòd nuncio non creditur.

*Quaestio 318. An ad evitandam actionem de contemptu, sufficiat probare, quòd Praefes ex parte sua bona fide modo consueto vocaverit vocandum, licet hic re ipsa vocatus non fuerit; eò quòd vel litera ex malitia ab aliquo intercepta fuerint, vel casu perierint, vel nuncius corruptus pecunia non vocaverit, etsi is dicat, se vocasse?*

**R**espondeo affirmativè. Pass. num. 129. in isto enim casu talis non est contemptus ab Electoribus, adeoque nec passus ab eis injuriam. Neque tenentur ad hoc electores, ut citatio perveniat ad citatum, sed solum ad hoc, ut ex eorum culpa non sit, quòd ea non perveniat ad citatum. Ex eo autem, quòd talis non vocatus in hoc casu agere possit contra iniquum detentorem literarum vel nuncium, non potest agere contra electionem, vel etiam Electores inculpato.

*Quaestio 319. An dum ad instantiam contempti cassatur electio, ea devolvatur ad Superiorem?*

**R**espondeo negativè, sed pertinebit ad eosdem electores, accedentibus iis, qui fuerunt contempti. Lavor. cit. c. 17. n. 18. Biach. p. 3. c. 7. Tholof. c. 14. num. 5. apud Pass. num. 125.

## PARAGRAPHVS VII.

### De loco Electionis.

*Quaestio 320. In quo loco fieri debeat electio?*

**R**espondeo primò: debere fieri ab Electoribus in uno loco congregatis, juxta c. cum jurata. h. t. & juxta generalem regulam traditam c. auditis. h. t. & l. 2. de decurionibus, Gl. in l. sicut. ff. quòd cujuscunque. univers. nomine. &c. quòd actus universitatis gerendus ab illius membris, ut communitatem seu collegium constituunt, non possit expediri ab iis singulariter, seu seorsim consensum praestantibus; sed necesse sit, ut collegialiter congregati consentiant, ita ut aliàs actus sit nullus. Abb. in cit. c. auditis. n. 8. Tholof. tr. de Elect. c. 15. n. 14.

2. Respondeo secundò de jure communi praescindendo à contraria consuetudine, electio debet fieri in Ecclesia viduata sponso suo, hoc est, si Episcopalis, in Cathedrali. c. quòd sicut. h. t. si alterius Praelati, in ejus Ecclesia; nec potest Praefes electionis, aut pars major Electorum minorem cogere ad alibi eligendum sine justa & publica, seu communi causa. Pass. c. 12. n. 6. & num. 10. Perinde autem est, si fiat in Choro, si in nave illius. c. cum nobis. h. t. si in sacristia, si in domo capitulari. c. cum terra. h. t. si in quocunque alio loco honesto intra ambitum seu fines propriae Ecclesiae. c. quòd fronte. de appellat. Biach. p. 3. c. 12. num. 1. Sigism. dub. 15. num. 2. Castell. de elect. c. 6. num. 1. Pass. loc. cit. num. 2.

3. Respondeo tertio: ex causa rationabili & publica, qualis v. g. esset, dum periculum immineret libertati electionis, vel dum grassaretur vehementer ibi pestis (secus est, si causa sit privata aliorum, etiam si esset ipsius Praefidis, aut etiam majoris partis Electorum, adeoque non tenentur tunc pars minor adire locum ab iis extra Ecclesiam determinatum; sed justè ab eo appellare possit. Pass. cit. num. 6.) potest quoque fieri extra Ecclesiam viduata sine, in quocunque loco Clericis honesto; dicitur enim cit. c. quòd sicut. si fieri potest, habenda in propria Ecclesia. ibid. Barb. & de jure Eccl. l. 1. c. 19. num. 178. & AA. paulò ante citati. Quinimo ex causa rationabili, & communi, v. g. dum locus intra ambitum Ecclesiae, vel aliàs consuetus non est tutus, potest minor pars, imò unus solus, cogere alios ad alium locum eligendum. Abb. c. bona. de elect. num. 1. Pass. num. 6. Quòd si verò sola major communitas suaderet electionem fieri extra propriam Ecclesiam, ait Pirh. de elect. sect. 5. n. 243. ex Laym. de elect. q. 33. duas partes capitularium convenire debere ad hoc statuendum, & quem locum major pars istarum duarum partium designarit (intellige, modò is sit conveniens, tutus, honestus) ad illum alios teneri accedere.

4. Quarto: ubi non est consuetus locus habenda electionis, aut ea in loco consueto haberi nequit, pertinebit ad Praesidem, seu eum, ad quem spectat